



[Faint, illegible handwritten text, possibly bleed-through from the reverse side of the page]



DISPUTATIO THEOLOGICA

DE

LXXI

DUABUS NATU-
RIS IN CHRISTO,

Quæ
Favente Θεωφωπῆς gratiâ

In

Electorali ad Albim Academia

SUB PRÆSIDIO

*VIRI Maximè Reverendi, Amplissimi juxtim
atq; Excellentissimi,*

DN. JOHANNIS Deutschmann /
S.S. Theol. D. Ejusdemq; in hac Alma Leucorea P.P.

longè latèq; famigeratissimi, Alumnorum Electoral:
Ephori gravissimi,

Dn. Patroni, Præceptoris, Promotoris ac Hospitis sui,
non alio, quàm paterno affectu usq; & usq; prosequendi,
Publicæ Θεολογῶν Ventilationi sistetur

à
M. MICHAELE HENRICO Krausen/

Torgensi Misnico,

In Auditorio Majori

Ad diem Decembr. Anni Æ. C. M. DC. LXXIV.

WITTEBERGÆ

Typis JOH: BORCKARDI, Acad. Typogr.

D 61

DISPUTATIO THEOLOGICA

DE VERBIS IN EUANGELIO
MATTHEI 23. 13. 23.

Ab Autoribus

DR. JOHANNES
S. S. Theol. U. P. in h. S. S. Theol. U. P.


Dr. Paton, Professor, Propositor et Moderator

M. MICHAEL HERMANN

Ad hunc - Decembris, Anni M. DC. LXXXV.

WITTEBERG
Typograph: BORKARDI, Anst. Typ.





SI Christum discis, satis est, si cetera nescis,
Vulgi versiculus non sine laude sonat.
Nam Christus λόγος est, Sapientia maxima
Patris,

In Christo resident omnia scita DEI,
Nobis est factus Sapientia Christus Jesus,
In Christo sapimus, si bene scimus Eum.
Qui Christum novit, Patrem quoque novit, &
omnem

Celi Thesaurum, quem λόγος Iste refert.
Ergo bonum factum, KRAUSI, PRÆCLA-
RE MAGISTER,

Tentas, de Christo dum pia verba facis.
Dicere verba DEI de Christo, est discere Chri-
stum,

Hoc Sibi sufficiat semper, ubique, precor.

JOHANNES Deutschman/D.

6205

Clarissimo

DN. M. Respondenti, Contubernali, Fautori
ac Amico suo amandissimo.

DAVIDIS IBOLES, Dominus Davidis JE-
SUS.

Est hinc verus homo, verus DEUS, u-
nus utrumq;

Hocce docet doctè Tua Dissertatio præsens,
Mi Crausi, Cathedrâ scandenti faxit JESUS!

M. Johannes Reinhardus,
Hilperhusâ Francus.

TAnti, crede mihi, non est ambire ministras.
Ad Dominam rectâ ni redatur id viâ.

Hactenus & sôphiam, Præclare Magister, amasti.

Nunc Regina Tibi Theologia placet,

Semper hic urat amor. Non est hæc flamma medullas:

Complexu reficit pectora lassa suo.

Si Te non alius, manet hic quoq; fructus amoris:

Præ famulis præstat deperiisse Deas.


Hanc
amicitiæ tesseram
dedit

M. Fridericus Christianus Bücher.

Schlib. Sax.



33.



DE DUABUS NATURIS IN CHRISTO

THESIS I.

IN Christo revera dua sunt distincta natura, Divina videlicet & Humana, adeoq; Christus non est unius essentiae, sed, ut Ecclesia canit, gemina Gigas Substantiae.

2. Probatur idipsum (1) è substantialibus nominibus, quia passim in S.L. vocatur Deus & homo, Filius Dei, & Filius hominis, Jehova, Elohim, Adonai & c. Semen mulieris, Semen Abrahae, Filius Davidis, Radix Jesse & c. (2) è compositis nominibus, quia dicitur יהוה וישעיהו Vir, Jehova, Immanuel, Esa. VII. 14. Itiel. Prov. XXX. 1. Huc pertinet communissimū Nomē θεὸς ἄνθρωπος. (3) ex emphaticis descriptionibus, II. Sam. VII. 19. describitur, quod sit Homo, qui est Deus Dominus I Paral. XVII. 17. Homo, qui in excelsis Dominus Deus. Jerem. XXIII. 6. Germen Davidis est Jehova. Matt. XVI. 16. Filius hominis dicitur Christus, Filius DEI vivi. Rom. I. 4. Filius DEI, qui natus est ex semine David secundum carnem. Rom. IX. 5. Christus, qui secundum carnem est ex Patribus, & super omnia Deus benedictus in secula & c. (4) Ex incarnationis descriptionibus, Verbum caro factum est, Job. I. 14. Deus manifestatus est in carne I. Tim. III. 16. Filius Deus natus ex muliere Gal. IV. 4. Quod ex Maria natum, Filius Altissimi vocatur Luc. I. 35. Filius DEI per incarnationem Abrahae semen assumptum, & sicut pueri, carnis & sanguinis particeps factus est Heb. II. 14. 16. (5) è distinctis proprietatibus, quia proprietates tum divinae, tum humanae natura passim Christo tribuuntur: proprietates autem essentielles necessario naturam suam demonstrant, dum eam ante se necessario requirunt, & ex eadem necessariam originem ducunt. Quod a divina simul & humana proprietates Christo conveniant,

E

niant,

niant, illud è sacris literis notissimum, & postea quoq; demonstra-
bitur. (6) è *distinctio operibus*, quia tum *divina*, tum *humana*, jux-
ta scripturam. Christo tribuuntur *opera*, quæ luculentissimum du-
arum in Christo naturarum faciunt indicium.

Antithesis.

1. *Antithesis* non modo veterum fuit *Hæreticorum*, nim. *Ebio-
nitarum*, *Cerinthianorum*, & aliorum, sed etiam modernorum est
Socinianorum, qui simpliciter negant, *duas in Christo naturas*, si-
cut scribit *Smalzius* adv. Franc. p. 85. *Vanissimum esse omnino illud
effugium ad duas naturas &c.* *Ostorod.* in inst. p. 39. contendit, quod
assertio nostra de Christo *θεανθρωπος* non tantum falsa sit, sed e-
tiam *divinæ voluntatis agnitionem* non parum obscuret, & sic
hominibus *ansam præbeat*, vel à via, ad vitam æternam ducente,
aberrandi, vel *saltem in ea non perseverandi*. Vid. *Catech. Racov.*
p. 54. 55.

2. Verum *dist.* inter *personam mere creatam*, vel *humanam*,
quæ saltem una constat natura, & inter *personam ἢ λόγος*, quæ
plura facere potest, quam nos capimus, aut intelligimus, & sic
μεγα dicitur *ὁμολογημένως ἢ εὐσεβείας μυήριον*, quod *De-
us manifestatus est in carne* *I. Tim. III. 16.* *Dist.* inter *dicta
Scripturæ*, quæ loquuntur de humana, & quæ loquuntur de
divina natura, *diversa*, & inter *dicta opposita*: ex dictis scri-
pturæ de *humana natura* loquentibus, ex quibus *Socini-
ani Christi divinam naturam* inficiantur, & Christum, quoad *sub-
stantiam*, *nudum hominem* esse demonstrare conantur, minime
vera Deitas eius negari potest, cum dicta dictis non sint opponen-
da, sed potius inter sese conferenda, cum primis quia non modo
dicta reperiuntur, quæ loquuntur de *humana natura*, sed etiam in-
veniuntur dicta, quæ loquuntur de *Divina natura*: quemadmo-
dum igitur è dictis, de *natura divina* loquentibus, non licet negare,
vel oppugnare *substantiam* eius *humanam*, quod plane non sit
homo, sic etiam è dictis, de *humana natura* sonantibus, minime li-
cet veram *Christi Deitatem* refutare, vel impugnare, cum primis
quia non pauca testimonia sacrarum literarum, tum *V. tum N. Te-
stamenti*

stamenti reperiuntur, quæ naturam utramque conjungunt, & Christum simul verum Deum, & verum Hominem esse, luculenter evincunt, quorum nonnulla circa Thesin probandam allegata fuerunt.

THESIS II.

1. *Christus* igitur verus Deus est, non tantum nudo nomine, sed ipsa re, non tantum quoad eminentiam, vel excellentiam, sed quoad ipsam essentiam, non tantum quoad munus, vel officium, sed quoad substantialem statum, & ipsum essenziale subjectum, non tantum quoad potestatem, sed etiam quoad quidditatem, non tantum quoad temporalem communicationem, sed etiam quoad æternam conditionem, non tantum quoad divinum Dominium, sed etiam quoad æternæ generationis principium &c:

2. *Vera Deitas* Christi probatur (1) è divinis nominibus, quia vocatur *Jehova* Esa. VI. 3. Conf. Job. XII. 41. Jerem. XXIII. 6. Zach II. 10. seq. &c: *Elohim* Gen. I. 1. Job. I. 1. 2. &c. *Adonai* cum *Kamez*. Gen. XVIII. 27. Psal. XLVII. 5. CX. 1 &c: Sic etiam dicitur *Deus verus* I. Job. V. 20. *Deus magnus* Tit. II. 14. *Deus benedictus in secula* super omnia Rom. IX. 5. *Deus Dominator noster* Jud. v. 4. &c: quæ certe nomina non tantum officij sunt, vel nude potestatis & dignitatis, sed potius essentia, vel ipsius quidditatis. (2) è divinis proprietatibus, quales sunt *DEI spiritualitas* Job. IV. 24. ἀόρατος ἄσπαρτος a. verus *Spiritus*, quia postea dicitur *incarnatus* Job. I. 14. *immortalitas* DEI I. Tim I. 17. quam *Jesus Christus solus habere* dicitur e. VI. 16. *infinitas* DEI, secundum quam *Christus omnia replere* dicitur Eph. IV. 10. *independentia* DEI, secundum quam *Christus dicitur α & ω*, *primus & novissimus* Esa. XLIV. 6. Apoc. I. 8. XXI. 6. XXII. 13. *immutabilitas* DEI Psal. CII. 27. 28. quod dictum de Christo luculenter allegatur & explicatur Heb. I. 10. seq. *immensitas* DEI Psal. CXXXIX. 7. seq. quod juxta circumstantias textus de Christo dicitur explicandum: *æternitas* DEI Christo tribuitur Job. I. 1. 2. c. XVII. 5. & propterea quoque *principium & finis*, α & ω, *primus & ultimus*. nuncupatur Apoc. I. 17. c. II. 8. e. XXII. 13. *omnipotentia* DEI, quia Christus παντοκράτωρ Apoc. I. 8. ipsi data omnis potestas in cælo & in terra

Matt. XXII. 18. & hinc omnia, quæ facit Pater, hæc etiam Filius pariter facit Job. V. 19. omniscientia DEI, quæ Christo tribuitur Job. II. 24. c. XXI. 17. Col. II. 3. Apoc. II. 23. bonitas DEI, quia solus Deus bonus Matt. XIX. 7. hæc a bonitas Christo passim adscribitur Luc. XIX. 17. Divina voluntas, quia per voluntatem Filij cuncta sunt, & creata sunt Apoc. IV. 11. Justitia DEI Psal. XLV. 8. Dan. IX. 14. Esa. LIII. 11. Misericordia DEI Luc. I. 50. veritas DEI I. Job. V. 20. & c. (3) è divinis operibus, quia Christo tribuuntur opera veri DEI, quæ alia sunt creatio Esa. XLIV. 24. Job. I. 2. Col. I. 15. Conservatio Job. I. 4. Col. I. 16. Heb. I. 3. Idem de gubernatione, redemptione, remissione peccatorum, Justificatione, resurrectione mortuorum, salvatione & c. prolixè demonstrari posset. (4) è divinis cultibus, nim. Angelorum Esa. VI. 3. Job. XII. 41. Psal. XCVII. 8. Heb. I. 18. hominum Matt. II. II. IX. 3. IX. 18. & c.

Antithesis.

I: Hæc Antithesis iterum est Socinianorum apud Smalz. hom. I. super init. c. 1. Joh. p. 12. Christum Deum appellatum esse dicimus, quia totus fuit divinus, vel quia omnia & singula, quæ in eius munere apparuerunt, & apparent, plena sunt divinitate: ita ut aliorum, qui ante eum fuerunt, prophetarum munera humanum aliquid potius fuerint, quam divinum, si cum Christi munere conferantur. Unde etiam nemo prophetarum unquam ob munus suum Deus appellatus fuit simpliciter, quemadmodum Christus ob munus suum propheticum hoc in loco (Job. I.) appellatur. Similem loquendi modum, qui hanc nostram explicationem confirmat, habes infra c. 10. 36. Ibi enim Christus ait, se idè Filium DEI, vel Deum esse, quod à Patre sanctificatus, & in mundum missus fuerit. Quod utrumq; ad munus eius, quod in terris gessit, & nunc in cælis gerit, referendū esse, nemo non videt, qui confiderat, eum cum hominibus rem habere, qui Christo divinitatem invidebant, quos Christum ad suam illam incomprehensibilem divinitatem relegasse, nimis absurdum est dicere; incertum n. per incertius probasset. Ea a. omnia & singula, quæ in Christi munere plena divinitatis apparuerunt, & apparent, propter quæ Deus est appellatus, hæc sunt: ut divino modo conceptus erat & natus, ita divino ad munus suum

suum obeundum modo fuit designatus: Spiritu Sancto absq; mensura donatus: divino modo ab ipso Deo edoctus: divina vita innocentia prae datus: divina sapientia ornatus: divina potentia illustris: Dei ipsius personam sustinens: divina a. quam nunc habet, gloria & potentia ita erat tunc, cum in terris degeret, destinatus, ut nullo modo ea privari posset &c:

2. Verum dist. inter Christi humanam & divinam naturam; secundum illam dicitur Dominus factus Act. 11.36. & veluti Dominus exaltatus Phil. 119. non autem secundum Hanc, secundum quam est Deus, vel DEI Filius, natus in aeternitatis hodie Psal. 11.7. Dist. inter Deum λεγόμενον, & ἀληθινόν; multi sunt Dii λεγόμενοι I. Cor. 11X. 6. sed unus tantum est Deus ἀληθινός I. Job. V. 20. Christus certe non cum alijs viris sanctis & magnis ad Deos λεγομένους referendus, sed potius dicitur ὁ ἀληθινός θεός disertis verbis I. Job. V. 20.

THESIS III.

1. Christus est Filius DEI non respectu Spiritus S. sed tantummodo respectu Patris, non quoad temporalem conceptionem, sed quoad aeternam generationem.

2. Nam Spiritus Sanctus est tertia persona DEI tatis, adeoq; secundae personae ne utiq; originem dare potest: vere quidem dicitur, quod Spiritus Sanctus sit Filij Spiritus Gal. 1V. 6. sed minime dicitur reciproce, quod Filius sit Spiritus Sancti Filius, cum Spiritus Sancti non sit genere, sed procedere Job. XV. 26. è contra solius Patris est genere Filium, & hac ratione caelestis Pater ipse testatur de Filij generatione Psal. 11.7. Filius meus es tu, Ego hodie genui te; de filij denominatione, vel conditione Matt. III. 17. Praeterea Spiritus Sancti conceptio non fuit συστάσις, vel etiam ipsius σύσις, sed potius ἐνεργείας, non fuit σπέρματος, sed δυνάμειως, quia Spiritus Sanctus non σπέρματικῶς, sed δυναμικῶς concepit, sicut Patres loquuntur: Augustinus serm. de tempore non ineleganter scribit: Conceptus est non de Spiritus Sancti substantia, sed de potentia, neq; generatione, sed benedictione & iussione. Dn. D. Calovius in Socinism. proflig. probat multis, quod Christus non sit

Filius DEI propter conceptionem à Spiritu Sancto (1) ob scripturæ silentium. (2) ob naturalis Filij Conditionem (3) ob Christi appellationem, quia Heb. VII. 3. quoad Humanam naturam dicitur ἀπ' αἰῶνος. (4) ob simile Christi nomen, quia sic est Christus Filius DEI, uti Deus est Job. X. 33. seq. (5) ob immaterialem & simplicissimam DEI naturam (6) ob Spiritus Sancti singularem operationem. (7) ob absurda consequentia, quæ argumenta singula dicto loco pluribus exposita sunt.

Antithesis.

1. Antithesis est nonnullorum Reformatorum, Zanchij l. 2. de Nat. DEI c. 1. q. 1. Christus dicitur Filius DEI natura (per naturam autem rei generationem, vel nativitatem intelligit, prout in præcedentibus naturæ nomen exponit) & quia Deus est, & quia homo: quia Deus, quia ab omni aternitate Filius est ex DEI Patris substantia genitus: quia homo etiam, quia natus est ex Maria virgine Filius DEI, conceptus è Spiritu Altissimi. Vid. Sobnij Ex. g. Aug. Confess. p. 117. Item Socinianorum apud Crell. lib. de Uno DEO Patre part. 2. c. 31 p. 289. quod Christus non ex VIRO, sed ex DEO, virtute atq; efficacia ipsius interveniente conceptus, alium, præter DEUM, PATREM non habuerit. Socinus ipse lib. sval. c. 4. p. 36. Cur Jesus, inquit, DEI filius appellatur, nempe unicus & singularis ille DEI Filius, priorem causam expressit ipsius DEI Angelus Gabriel, inquit, ipsi Virgini, mox Jesu Christi futura matri; Spiritus S. superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, ideoq; quod ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius DEI. Vides modum Conceptionis, & primæ existentie illius hominis Jesu Nazareni, nempe quod Spiritus Sanctus & virtus Altissimi illam sit operata, & sic Patris generantis loco Deus fuerit, causam esse, ut ipse homo Jesus Nazareus, qui Christus est, DEI Filius appelleretur, & quidem consequenter singularis, sive unicus & unigenitus DEI Filius, quandoquidem nemo alius unquam talem à Deo sui ipsius originem & generationem habuit.

2. Verum dist. inter naturam divinam, & humanam, Christus non tam quoad naturam humanam, quam quoad divinam, Filius DEI

DEI nuncupatur, jam autem non quoad naturam divinam, sed quoad humanam, à Spiritu Sancto conceptus est in utero B. Mariæ Virginis. Dist. inter subiectum, vel personam, & inter principium, vel causam: τὸ γεννώμενον ἐκ τοῦ ἁγίου κληθεῖσθαι υἱὸς θεοῦ: quod nascetur ex te sanctum, Filius DEI vocabitur, non autem dicitur, quia nascetur ex te, propterea Filius DEI vocabitur. Dist. inter rationem causalis efficientiæ, & materialis consequentiæ: Angeli verba non sunt causalis vel dependentiæ, vel efficientiæ, sed potius materialis consequentiæ.

THESIS IV.

1. Christus est Filius DEI, non tantum quoad regiam dignitatem, sed etiam propter eternam DEitatem, & internam, vel essentialis quidditatem, neq; formaliter, quatenus est Christus, sed materialiter, quatenus est ab æterno à patre genitus. Psal. II. 7. neq; Filij DEI nomen. & Christi, συνωνύμως se habere dicuntur.

2. Quod autem Christus & DEI Filius συνωνύμως non dicantur, eius rei plurimas rationes Dn. D. Calov. in Socin. Proflig. de Fil. DEI contr. 10. arg. 2. demonstravit (1) quia nomen Filij significat propria significatione eum, qui est substantia genitus est Parentis, eiq; consubstantialis est: Christus autem proprie significat unctum. (2) quia nomen Filij relationem habet ad Patrem: Christi a. nomen relationem officij importat, & ungentem, respicit ad officium: si eadem foret utriusq; nominis significatio, tum uti correlatum Filij est Pater, ita correlatum uncti foret Pater; uti fundamentum illius relationis est generatio; ita huius etiam fundamentum foret ipsa Generatio, adeoq; Generatio & Unctio itidem synonyma forent, sicut Filius & Christus, quæ utiq; omnia inconvenientia. (3) quia nomen Filij, persona nomen est, at Christi, nomen est officij. Persona a. & officium formaliter idem non sunt. (4) quia Filius DEI esse potuisset, etiam si idem Christus, vel Messias non foret, cum officium hoc Messias sponte suscepit. (5) quia Filius DEI fuit ab æterno per generationem, & egressum à Patre æternum: At Christus per unctioem factus est temporalem. (6) quia Filius DEI dicitur ratione divinæ nature, vel quæ Deus: Christus a. non solum dicitur, quæ Deus,

Deus, sed quia Deus & Homo, quia Verbum caro factum est. (7) quia Synonyma simpliciter permutari possunt: talis a. permutatio locum non habet in hisce nominibus. Non n. cum v. gr. dicitur, *Filius meus es tu*, licet substituere, *Christus meus es tu*, *Ego hodie genui te*: aut cum dicitur: *Ero ei in Patrem, & ipse erit mihi in Filium*, surrogare licet alterum nomen. *Et ipse erit mihi in Christum*, aut cum passim dicitur in Scripturis, *Filius DEI*, eius loco intelligere, ac perinde id habere licet, ac si dicatur, *Christus DEI*. (8) Si hæc Synonyma forent, utiq; uti *Jesus* dicitur, *Rex noster*, aut *Messias noster*, ita etiam recte diceretur *Filius noster*, uti *gladius noster est noster Ensis*. At hoc inconueniens. Ergo & illud, quod nempe Synonyma sint *Messias, Dominus Rex & Filius*. (9) quia identice forent propositiones, cum dicitur, *Christus est DEI Filius*, cum idem inferatur in subiecto, quod in prædicato, æque ac si dicam: *Ensis est gladius*; aut etiam cum vice versa dicitur, *Filius DEI est Christus, vel Messias*. Ecquis verò vel hanc, vel illam propositionem admittit esse identicam? (10) Fatentur insuper Sociniani, *Jesus esse naturalem DEI Filium*, at num etiam *naturalis est DEI Christus?* id utiq; oporteret admitti, si eadem Synonyma forent. (11) Fatentur Sociniani, *Jesus à nativitate fuisse DEI Filium*: negant autem, *à nativitate Christum fuisse*. Non ergo simpliciter Synonyma sunt *Christus, & DEI Filius*. (12) Fatentur, nomen *Christi* notare officium Regium, Sacerdotale & Propheticum *Volkel. l. 3. de Vera relig. c. 4.* Num a. Nomen *Filij DEI* denotat etiam officium Regium, sacerdotale, & Propheticum, idq; formaliter. (13) Tandem agnoscit *Schlichting. falsum esse, quod hæc simpliciter idem significant*, negat autem, se id dicere: *Falsum est, nos dicere, inquit p. 534. Filium DEI, & Christum, simpliciter idem esse. Rem quidem eandem utroq; isto nomine significari, sed non eosdem plane istius rei respectus, non secus ac filius hominem quidem significat, sed simul & respectum quendam peculiarem denotat. Quo ipso thesina suam destruit, sibiq; ipsi contradicit. Nam si non magis Synonyma sunt *Filius DEI & Christus*, quam *Filius & Homo*, nullatenus Synonyma erunt. Quis n. hæc Synonyma dixerit? Et qui non concederet*

tenderet Schlichtingius, *Filium Christum*, simpliciter idem esse quam asserat, *Christi nomen* cum appellatione illius *Filij DEI*, tanquam *ἰσὸς ὁὐρανεῶν* permutari p. 558 quam contendat, non tantum *Christum & Filium DEI* esse eundem, sed & idem esse *Christum, & DEI Filium*, eademq; nomine utroq; designari, dignitatem & excellentiam pag. ead. & seq. cum statuat, eandem utriusq; vocis, esse significationem, nihilq; aliud *Filij* vocem designare, quam *Christi* p. 560. 561. Quis hic non videt, aut palpat etiam contradictionem Schlichtingij, quam suam ipsius conficit sententiam?

3. Hinc etiam facile patet, quod minime *Filius* immediate propter dignitatem dicatur (1) quia *Filij* nomen vulgo non est officij, sed certi subiecti, vel etiam essentiae, non excellentiae nomen. (2) quia *Filius* directe dicitur respectum ad generationem inferre. *Psal. II. 7.* (3) quia *Filij* nomen nec inter homines in vulgari significatione dignitatem aliquam, vel eminentiam importat. (4) quia *Christus* etiam in statu humilitatis, dictus est *DEI Filius* *Matt. III. 17.* & passim alibi, imò in *media mot. Mart. XXVII. 54.*

Antithesis.

1. Antithesis iterum est *Socinianorum*, qui communiter statuunt, quod *Filij DEI* nomen *Christo* tribuatur propter exaltationem, vel etiam sit nomen *Dignitatis*, non *quidditatis*. Sic enim *Socin.* in lib. *svafor.* p. 36. scribit: *Posteriorem* [rationem, cur *Jesus Christus DEI Filius* appelletur] *exprimunt loca illa, ex quibus apparet, unicum illum & singularem DEI Filium idem esse, quod Christus. Nam Christus* praecipue ac potissimum *Regem populi DEI* significat. *Vides hic rursus hominis illius Jesus Nazareni summam post Deum dignitatem, & regiae personae, quam in ipso DEI populo sustinet, omnium maximam excellentiam, causam esse, cur sit ille unicus & singularis DEI Filius &c.*

2. Verum dist. inter aequi potentiam verbalem, & realem; realiter quidem, & materialiter nomen *Filij* hic dignitatem divinam importat, sed in se ratione nominis, vel etiam ratione filiationis formaliter minime dignitatem significat. Dist. inter nomen originis, & muneris, i. functionis, *Filij* nomen originis est, sed *Christi* nomen est

F

muneris,

muneris, vel officij nomen, quia significat unctum, & ad unctos Prophetas, Reges & Sacerdotes V. T. respicit.

THESIS IV.

1. *Christus non est Deus factus, nec ab æterno, nec ante mundi creationem, nec in tempore Deus factus est.*
2. *Nam implicat contradictionem, Deum esse factum, cum factum esse necessario causam præsupponat: Deus autem causam habere nequit, cum sit Ens à se, non ab alio. Præterea pugnat id ipsum cum DEI veritate, cum DEI unitate, cum DEI aternitate, cum DEI infinitate, cum DEI independentia, majestate &c: Et certe cum Christus sit Deus super omnia Rom. IX. 5. ne utique factus, vel factitius Deus esse potest, cum Deus factitius revera sit fictitius.*

Antithesis.

1. *Errant hic iterum Sociniani, qui læpius Christum, esse Deum factum asserunt. Smalz. refut. libr. de Error. Arian. p. 72. Duas credendas esse divinas personas, quarum una divina sit à seipsa, utpote Pater, alia v. divina sit ex Deo, certo tempore, & ob certam causam talis FACTA, nimirum Christus. Idem lib. de Divinit. J. Christi cap. 12. p. 74. objectionem de fictitio Deo remove conatur scribens: Nolumus, quoniam hic nobis obstrepere, & in re nimis seria nobis illudere. quod, quia Christum isto modo Deum agnoscimus, Deum habeamus FACTUM & FICTITIUM, ut multos scribere non pudet, & ita non verum Deum: vel quod, si eum pro vero Deo habemus, duos habeamus Deos, & ut porro blasphemare non dubitant, idolatre simus, vel aliquid cum Ethnicis commune habeamus. Sunt n. ista omnia ita comparata, ut apud homines tantum leves, & parum pios speciosa esse videantur: interim v. apud graves & pios futilia plane sunt, & indigna fere, ad quæ aliquid serio respondeatur. Huiusmodi objectiones, vel potius exagitationes non nobis, sed sacris literis bellum indicunt, quæ, quia Jesum Christum propter certas causas, quæ ex solius DEI voluntate, & gratia liberrima profectæ sunt, Deum appellant, eum sane hoc ipso FACTUM esse consententur, & illum unam verum Deum, qui Pater est, esse nullo modo permittunt. Frustra est, verba*
Spiritus

Spiritus S. linea inducta denigrare, quibus affirmat: Pro certo sciat tota domus Israelis, quod & Dominum & Christum fecit eum Deus hunc Jesum, quem vos crucifixistis. Eo autem modo (ut hoc etiam propter simpliciores addam) quo Petrus D. Jesum affirmat esse FACTUM Dominum & Christum, dici a nobis potest, EUM ETIAM ESSE DEUM FACTUM. Cum istud Christi dominium sit ipsa eius divinitas: & Summa Christi divinitas sit, quod is est ille Dominus, per quem omnia, teste D. Paulo I. Cor. IIX. 7. & c.

2. Verum dist. inter Dominum factum, ratione usurpata Majestatis, quod contigit in exaltatione & inter Deum factum, quod potius fingitur in Phantastica hominum opinione. Dist. inter Deum verum, & inter Deos titulo: Hi quidem Dii facti nuncupari possunt, ille vero nullo modo factus dici potest, cum Deus sit omnium factorum causa, neutiquam autem inter facta locum habere debeat. Hinc etiam de Christo dicitur Job. I. 2. Omnia per ipsum facta sunt, ET SINE IPSO FACTUM EST NIHIL, QVOD FACTUM EST. Si proinde Christus esset Deus FACTUS, a semetipso FACTUS esset, vel prorsus NIHIL esset, quia nihil, quod factum est, sine ipso factum est

THESIS V.

2. Christus est verus homo, non κατὰ δόξαν, sed κατὰ ἀλήθειαν, non κατὰ βασιλειαν, sed κατὰ ἰστίαν, quoad naturam, non ἐστὶν ἕτερον, sed ὁμοῖον, non quoad corpus aliquod sidereum vel celeste, sed quoad corpus vere humanum & terrestre, non quoad corpus ἀψυχον, sed ἑμψυχον, non quoad corpus, ἀπαθές, sed ἑμπαθές, non quoad naturam corruptam, & ad imaginem Adami propagatam, sed quoad naturam integram, perfectam & immaculatam.

2. Veritas humana natura confirmatur (1) ex veritate nominis, quia dicitur Homo I. Tim. II. 5. Filius hominis, passim, Filius David, Filius Abraham Matt. I. 1. & c. (2) ex veritate originis, quia est semen mulieris Gen. III. 15, semen Abrahæ Heb. II. 16. radix Jesse Esa. XI. 1. ex semine David Rom. I. 4. ex patribus Rom. IX. 5. ex Maria Virgine Luc. I. 35. (3) ex veritate carnis, quia verbum revera caro factum est Job. I. 14. (4) ex veritate carnis & sanguinis, quia sicut puer,

communicaverunt carni & sanguini, sic ipse quoque factus est particeps eiusdem *Heb. II. 16* (5) *ex veritate incarnationis*, quia *Deus manifestatus est in carne I. Tim. III. 16*. non in carne phantastica, sed physica, non mutila, sed integra, non ἐτεροσίω, sed ὁμοσίω, non ἀψύχω, sed ἐψύχω. (6) *ex veritate humana constitutionis*, quia Christi natura humana constat anima & corpore. (7) *ex veritate humana affectionis*, quia proprietates humanae naturae Christo conveniunt: affectiones autem propriae necessario suum proprium demonstrant subjectum, & sic affectiones verae veritatem humanae naturae in Christo demonstrant. (8) *ex veritate humanae operationis*, quia propriae, vel naturales hominis actiones Christo conveniunt, & in historijs Evangelistarum passim eidem tribuuntur. (9) *ex veritate humanae passionis*. (10) *ex veritate humanae mortis* &c:

Antithesis.

1. Errarunt igitur *Veteres heretici*, qui veritatem humanae naturae Christo denegarunt, quales fuerunt (1) *classis Hereticorum Ἰωὺν ἑτεροσίων*, qui carnis ὁμοσίω negarunt, nim. *Valentiniani, Marcionitae, & alij* contendentes, Christum non assumisse veram humanam naturam, seu carnem *Mariae* consubstantialem, sed e caelis attulisse corpus caeleste, vel sidereum. (2) *classis Hereticorum Ἰωὺν Φανταστικῶν*, nim. *Manichaei*, qui docuerunt, Christum non verum corpus, sed Φαντασμα tantum corporis gessisse, non physicum, sed phantasticum non proprium, sed imaginarium corpus habuisse, quod ita quidem apparuerit, ac si carnem & ossa haberet, sed revera non habuerit. (3) *Classis Ἰωὺν ἀψύχων*, qui vel omnem animam, ut *Ariani*, vel rationalem, ut *Apollinista*, Christo denegarunt. (4) *Classis τῶν ἀπαθῶν* qui statuerunt, Christum humanam naturam, sed nullis passionibus, vel affectibus obnoxiam assumisse, ut *Hilarius* cum alijs. Vid. *B. Chemnit. p. 1. Loc. Comm. cap. de Humanat.*

2. Verum dist. inter apparitiones *Veteris Testamenti*, & inter ipsam incarnationem: in *Veteri Testamento* quidem in corpore quodam caelesti, vel apparenti, vel aliter, quam physice, per omnia

se habenti, sæpius fidelibus apparuit, sed in Novo Testamento veram & naturalem carnem assumpsit, prout pueri carnis & sanguinis consortes sunt *Heb. II. 16.* illæ apparitiones sunt λογὸς ἀσάρκῃ, hæc v. manifestatio est λογὸς ἐνσάρκῃ, quia Deus manifestatus est in carne *I. Tim. III. 16.* Dist. inter ὁμοίωμα, & inter ipsὰ ὁμοιωμάτια, inter σχῆμα, καὶ σῶμα, illud est qualitativum, hoc quidditativum; non λόγος incarnandus, sed Christus incarnatus ὁμοίωμα, vel σχῆμα qualitativum, respectu status exinanitionis, gessit, non autem ratione quidditatis ὁμοίωμα, vel σχῆμα fuit.

THESIS VI.

1. Christus est Filius hominis, non respectu DEI Patris, sed tantum respectu Mariæ Matræ, vel etiam veræ nobiscum, & essentialis consubstantialitatis.

2. Est quidem Filius, & respectu Patris, & respectu Matræ, quia genitus est à Patre *Psal. II. 7.* & natus ex muliere *Gal. IV. 4.* sed ut Filius Hominis non est à Patre genitus, quod probatur, tum ex natura generationis, quia generatio nihil aliud est, quam essentialis communicatio: jam autem Deus Pater non est essentia humana, non igitur per generationem eam communicare, vel propagare voluit: tum ex natura divine generationis, quia Patris generatio non est alia, quam divina generatio: jam autem divina generatio toto cælo distat ab humana generatione, cum igitur Christus homo per humanam nativitatem ortum sumserit, sicut eius nativitas *Luc. II. 1. seqq.* describitur, neutiquam Filius hominis ratione divine generationis appellari potest: tum ex natura filiationis, quia natura filiationis propriè requirit idipsum, ut Filius sit eiusdem nominis, & quidditatis vel essentialis cum ipso Patre, quemadmodum Filius hominis eadem ratione dicitur homo, sicut Pater, & sic Christus in sacris literis respectu Patris passim dicitur Deus, Filius DEI, Filius Patris, non autem Patris respectu dicitur Homo, vel Filius hominis: tum ex natura Filij hominis, quia secundum eam est ἀπὸ τῆς, veluti secundum Divinam naturam est ἀμῆνω *Heb. VII. 3.* est semen, non Patris, sed mulieris *Gen. III. 15.* & secundum carnem est ex patribus *Rom. IX. 5.* ex semine David *Rom. I. 4.* & c:

Antithesis.

1. *Antithesis* est modernorum *Theosophorum*, prout hi fanatici se vocant, qui in *Allerheiligst. c. 6 p. 133.* Christum vocant, *Filium hominis, qui in caelo est*, id est, *DEI*, ipsumq; *DEUM* hominem esse statuunt, sicut scribunt: *Es ist ein wahrhaftig greifflich Gutt / ein fleisch des Allerheiligsten Geistes / in der Verandwort. contra Job. Piat. p. 67.*

2. Verum *dist. inter phrasin*, *Filius hominis*, qui in caelo est, *sensu subjectivo, vel materiali, & sensu effectivo, vel causali: Filius homini* i. e. *Christus*, *ratione majestatis*, dicitur *esse in caelo*, non autem dicitur *Filius illius hominis*, qui sit *in caelo*, tanquam *causa*, vel *Pater* illius *Filij*, qua ratione vox *Hominis* non ad *Deum Patrem*, sed ad ipsum *Christum* refertur. *Dist. inter locutionem symbolicam, l. parabolicam*, qua ratione *Deus Pater* in *parabolis* nonnunquam *συμβολικῶς* homo nuncupatur, & inter *locutionem propriam, vel didacticam*, quo pacto *DEI Filius*, neutiq; a *Deo Patre*, tanquam ab *homine* per *essentiam* generatur & inde *Filius hominis*, vel *homo* nuncupatur.

THESIS VII.

1. Hinc *Christus* est *essentialis Deus*, & *essentialis Homo*, vel etiam *verus Deus*, & *verus Homo*, *verus DEI Filius*, & *verus Hominis*

2. *Filius* Est enim *verus Deus* secundum *divinam*, *verus homo*, secundum *humanam naturam*, est *verus Deus* secundum *aternam*; vereq; *divinam generationem*, est *verus homo* secundum *temporalem* & *humanam nativitatem*. Est autem *essentialis Deus* & *homo* non per *conjunctionem essentialem*, sed per *unionem personalem*, non in *unitate naturae*, vel *essentiae*, sed in *unitate personae*, non est *unum* ex *duabus naturis*, sed *unus* in *duabus naturis*.

Antithesis.

1. Errat autem *M. Henricus Nicolai Exerit. de Medio relig. pag. 9. Tb. 7.* ubi dicit *Extrema*, *Christus* non est *essentialis Deus*, ut *Phoenistae*, nec est *essentialis homo*, sed *phantasticus tantum*, ut *Manichaei*, *Marcionitae*, *Basiliidiani*, aliiq; volunt, *Extrema: Medium* v. vocat, *Christus* est *Deus* & *homo simul*, in *uno supposito composito*, neutiq; quam

22

IN CHRISTO

quam autem Christum essentialem Deum & essentialem hominem appellare, sed potius essentialis DEI & essentialis hominis professione declinare, & àq; medio religioso caelestis veritatis seq; vestrare contendit.

2. Verum *dist.* inter *simulacem unionis*, quæ consistit cum essentiali Deo & homine, dum essentialis Deus & essentialis homo personaliter uniantur, & inter *simulacem separationis*, aut *separabilis constitutionis*, quasi Christus separatim sit essentialis Deus, & separatim essentialis homo, quæ ratione neutiquam Christum simul essentialem Deum & essentialem hominem confitemur.

THESIS IIX.

1. Hinc in Christo, duæ naturæ, *Divina* videlicet & *humana*, non *seorsim*, vel *separatim* existunt, ita ut unaquælibet per se constituat personam, sed potius in unione personali se mutuo respiciunt, & in unitate personæ subsistunt.

2. Probatum id ipsum (1) quia tantum *unum semen mulieris Gen. III. 15.* (2) quia tantum *unus Vir Jehova Gen. IV. 1.* (3) quia tantum *unum semen Abrahami, Isaaci & Jacobi Gen. XII. 3. seqq. Gal. III. 16.* (4) quia tantum *unus Mediator DEI & hominum, Homo Christus Jesus I. Tim. II. 5.* (5) quia tantum *unus est Jesus Christus Rom. V. 17.* (6) quia tantum *unus est Dominus Eph. IV. 15. &c.*

Antithesis.

1. *Antithesis* est Veterum Nestorianorum, qui si non *directe*, tamen *indirecte*, si non *manifestis thesibus*, tamen *dogmaticis*, seu *erroribus suis byporthesibus* naturas Christi dividerunt, & duas personas introduxerunt.

2. Verum *dist.* inter *humanam naturam* ἰδιοῦ πρὸς αὐτὸν & ἐν ὑπόστασιν, inter *humanam naturam* ἀλλοῦ πρὸς αὐτὸν & ἀλλοῦ ὑπὸ ὑπόστασιν, illa per se subsistit, hæc in alio subsistit, illa propriam, hæc communem catam habet subsistentiam: illa quidem diversam & separatam personam requirit atq; constituit, hæc autem minime separatam hyostasin constituere potest. *Dist.* inter *distincta*, vel etiam *diversa*, & inter *separata*: duæ naturæ in Christo quidem revera distinctæ sunt & diversæ, sed minime separatæ. *Dist.* inter *duarum naturarum*

naturarum

rarum essentiam, & inter earum subsistentiam; duæ naturæ quidem diverse sunt essentia, sed minime diverse subsistentia sunt, cum divina natura per unionem personalem humanam naturam in subsistentiam suam receperit, ita quidem, ut sicut ante factam incarnationem hypostasin sibi propriam habuit, ita pariter tanquam propriam retinuerit, sed humanæ naturæ per unionem & communicationem personalem eandem hypostasin appropriavit atq; communicavit.

THESIS IX.

1. *Due natura proinde conjunguntur, vel uniuntur, non per unionem essentialem, ad unam essentiam constituendam, quemadmodum anima & corpus naturam unam absolvunt: neq; per unionem accidentalem, quemadmodum accidentaliter plura multis modis conjunguntur: neq; per unionem moralem, quemadmodum ex animorum consensione, vel convenientia morum, in externa vita communiter amicorum animi copulantur: neq; per unionem civilem, quatenus in civitate cives, in politia, vel Republica subditi, ad unam Rempubl. referuntur: sed potius per unionem suppositivalem, quatenus essentia plures in uno supposito conjunguntur, vel ad unam personam constituendam referuntur, & hinc Unio personalis & Unitas personalem originem trahit.*

Antithesis.

1. *Antithesis hæc est multorum veterum & recentiorum Hæreticorum, in primis Papistarum, Calvinianorum, & aliorum, eorum videlicet, qui tantum unionem accidentalem in hoc mysterio fingunt.*

2. *Verum dist. inter accidere, & accidens esse: accidit divinæ naturæ, ut cum humana personaliter uniatur, cum ipsi non sit essentialis, non autem propterea statim humana natura divinæ tantum accidens est, Dist. inter Humanam naturam in statu unionis, & unionis consideratam, quoad unionis actum non est de essentia, ἡ λογος, ut assumat carnem, ac proinde tantum ipsi tale quid accidit, sed ratione personalis unionis Humana Natura nullatenus accidens est.*


✓
00 A 6436

ULB Halle 3
004 931 300


KD 18







THEOLOGICA 57 ~~LXXI~~

S N A T U
H R I S T O,

ve
θεωπαισ gratiā

bim Academia

ESIDIO

di, Amplissimi juxtim
lentissimi,

N I S Deutschmann /

in hac Alma Leucorea P.P.

ni, Alumnorum Electoral:
gravisimis,

Promotoris ac Hospitis sui,

ectu usq; & usq; prosequendi,
y Ventilationi sistetur

HENRICO Krausen /

si Misnico,

orio Majori

Anni Æ. C. M. DC. LXXIV.

TEBERGÆ

KARDI, Acad. Typogr.